

constituimus & ordinamus discretos uiros. dominos. Magistrum nicolaum canonicum & benedictum. procuratores nostros & nuncios speciales quemlibet eorum in solidum ita quod non sit melior condicio occupantis set quod unus eorum inceperit alter ualeat consummare. dantes. & concedentes. eisdem procuratoribus nostris & cuilibet eorum in solidum plenam & liberam potestatem submittendi nos excommunicationis sentencie per reuerendum patrem dominum vpsalensem in nos ferende super articulis infrascriptis saluis tamen in omnibus & singulis consciencia nostra iure nostro iure ecclesie nostre. & ordine. videlicet quod nunquam erimus contra regem. seu illustres liberos suos nocuus consiliis. ausiliis publicis & occultis. set ipsum dominum nostrum regem & inlitos liberos ipsius iuuabimus. & eis astabimus quantum possumus. saluis consciencia. iure ecclesie nostre & ordine. in licitis & honestis. Item quod neque fratres nostros neque alios quoslibet quos inimicos domini regis nunc esse noscimus. seu nouerimus in futurum. in sui preiudicium aut regni detrimentum. fouebimus. publice. vel occulte. neque procurabimus. seu procurari faciemus. siue infra regnum siue extra. quod secundum conscienciam nostram. preiudicium prestare poterit regno. seu regie maiestati. & si ueraciter scire poterimus aliud a personis fidedignis quod ipsi domino nostro regi. seu liberis suis illustribus obesse poterit. hoc ei aut alicui aduocatorum suorum prout utilitati regni. secundum conscienciam nostram expedire crederimus curabimus intimare quam excommunicationis sentenciam *extunc* si contra fecerimus incurremus. Ratum & firmum habituri quidquid per dictos procuratores nostros uel ipsorum alterum factum fuerit in premissis & quolibet premissorum in cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum Datum qualdinshø anno domini. M°.CC°.LXXX°.VIII°. die ueneris proxima post festum beati andree.

Sigillet finnes.

981.

1288 d. 10 Dec.

Sigtuna.

RAGNHILD ERLAND ENGELS dotters Testamente af fastigheter till Sigtuna kloster, samt till Kyrkor och kloster penningar, hvilka skulle utgå af Wenngarn, Tullgarn, m. m.

In nomine patris & filii & spiritus sancti, amen, Cum terminus mortis eunctis mortalibus sit incertus. & propter varios humane fragilitatis euentus gestarum rerum memoria per obliuionem cito dilabitur nisi voce testium & litterarum indicijs confirmetur, Idcirco ego RAGNILDIS ERLENDI quondam filia, nunc vxor Domini Magni Gregorij, ad vniuersorum deduco noticiam per

per inspeccionem presencium, quod meum, iure aliquo ciuili, seu canonico, seu etiam quibuscumque consuetudinibus patrie, non obstantibus, perpetuis ualiturum temporibus, in hunc modum facio & ordino testamentum, de prememorati mariti mei expresso beneplacito & assensu, In primis confirmo in omnibus testamentum karissimi in domino, quondam mariti mei & domini, Joans Karls sun, obligans et astringens filium meum. Fulchonem. ad hoc perficiendum & plenarie persoluendum siquid in morte mea repertum fuerit non solum Fratribus predicatoribus Sictionie, apud quos, iuxta predilectum priorem maritum meum, predictum Dominum Joan Karls sun, collateraliter eligo sepulturam, legando confero Curiam meam, Lýtislund, cum omnibus mobilibus & immobilibus, adiuncto predio quod possideo in Hwetingi, tali condicione, quod filij mei eandem Curiam redimant infra annum, Si autem in anni reuolucione non redemerint, extunc fratres secundum suum beneplacitum quicumque uoluerint, uendendi liberam habeant potestatem, Insuper lacum seu paludem, que Musamýr dicitur, iuxta siktuniam, cum terra, aqua, graminiibus, lignis, & ceteris que loci illius esse dinoscuntur eisdem fratribus confero, & confirmo pleno iure integraliter possidendam, & liberum decursum aque de dicto lacu usque ad eorum molendinum, iuxta modum, qui instrumento super hoc specialiter confecto in plenius continetur, Ecclesie uersalensi do, duodecim Marchas denariorum, Fratribus predicatoribus Westraaros, strengienes, skeningie, skaris, lýdosie, kalmarnie, Wisbý, finlandie, & sororibus apud sanctum Martinum skeningie, singulis domibus. Tres Marchas den, Item singulis domibus fratrum Minorum, østraaros, Enichopie, stokholm, Nýchopie, suthercopie, skaris, Wisbý, duas Marchas den, Karissimo in christo germano meo fratri Jsraeli, do decem Marchas argenti, Item singulis cenobiis Manachorum, Julluttum, Aluastrum, Wernem, Nýdal, Gothlandie, duas Marchas den, Item singulis Monasterijs Monialium, sko, fodø, Risiberg, Guthem Wretum, askabý, gothlandie, duas Marchas den, Item singulis hospitalibus, Eskilstunum, Enikopie, duas Marchas den, Margarete sororj mee naturali, que in seruicio meo diu & fideliter laborauit, do, nouem oras cum vno solido terre in Husabý in aspu, Cuilibet ecclesie parochiali, in quarum parochiis Curias possideo, & sacerdotibus earundem, do vnam Marcham den, Ragnfridi naturali filie domini mei predicti Joans Karls sun, confero Triginta Marchas denar, Executores testamenti mei taliter ordinati, pono, Dominum maritum meum. Magnum predictum, & fulchonem filium meum, si tunc in etate legitima fuerit constitutus, Item venerabilem patrem, Dominum Johannem dei gracia Episcopum aboensem, Item karissimum in christo fratrem meum karolum, vel fratrem meum fratrem Jsraelem, loco sui, si karolus non affuerit, & priorem sictioniensem, quicumque fuerit

pro tempore, volens & ordinans, vt redditus & prouentus curiarum meorum, ad dicti testamenti solucionem recipiant, nec filii vel heredes mei de ipsis percipiendis, aliquatenus se intromittant, quousque testamentum plenarie fuerit persolutum, Ad persoluendum Ecclesie Vpsalensi, & domibus fratrum predicatorum, & sororibus apud sanctum Martinum skeningie, recipiantur prouentus curie Winagarn, Ad persoluendum autem omnibus aliis locis religiosis, atque Ecclesiis cum earum sacerdotibus, accipiantur redditus curiarum. Hyrn. & Thullagarn, Ragnfridi vero persoluatur de prouentibus curie. Sochnadall, Actum sictonie, in Ecclesia beate Marie virginis, die veneris proximo post festum beati Nicholai, in presencia Domini mei regis, domini Magni. Joans sun. domini mariti mei. Magni, domini philippi de Runby, domini Joans angeli fratris mei, domini. Benedicti. bossun. Fratris Olai, prioris prouincialis dacie, fratris Laurencii prioris sictoniensis & fratris Jsraelis fratris mei, Anno Domini. M^o.CC^o.LXXX^o octauo, Jn quorum omnium euidentiam, sigillum, Magnifici principis, Domini Magni, illustris Regis sweorum, & sigillum dilecti mariti mei. Domini Magni gregorij, & meum, ac sigilla dilectorum fratrum meorum, fratris jsraelis joans engils, karoli, necnon sigilla, prioris prouincialis, & prioris sictoniensis ordinis predicatorum presentibus sunt appensa.

Sigillen: 1; 2, 4—8 bortfallne, remsorne qvar; 3 andeligt, något skadadt.

982.

1288. d. 15 Dec.

Upsala.

Kaniken NILS och BENGTS i det dem af Biskopen Brynolf i Skara gifna uppdrag (jfr. föregående N:o 980) afgifna förbindelse.

Jn nomine domini amen anno eiusdem M^o.CC^o.LXXX^o.VIII^o.XVIII kalendas ianuarij. Jn precencia reuerendi patris domini vpbsalensis nos NICHOLAUS. & BENEDICTUS. procuratores venerabilis patris domini .b. scarensis episcopi constituti. ipsum dominum nostrum scarenssem, nomine procuratorio sentencie excommunicacionis per memoratum dominum vpbsalensem in ipsum ferende subicimus in hijs scriptis super articulis in procuratorio nostro continentur quam sentenciam excommunicacionis extunc memoratus dominus noster scarensis incurret si contra pretactos articulos venerit vel aliquem pretactorum saluis tamen in omnibus & singulis sua consciencia. iure suo. ecclesie sue & subditorum suorum necnon & ordine Datum vpbsalie anno & die supradictis.

2 Sigill finnas något skadade.